

C\_1 v.1 Flamini Manes, instar mihi numinis umbra  
 2 Flamini, haec campis cernis ab Elysiis ?  
 3 An tibi, quae nostri fuerat tam fervida cura  
 4 Cocytus nigris eluit amnis aquis ?  
 5 Tu solitus Priulique ausus compescere inanes,  
 6 et molli versus frangere voce truces.  
 7 At nunc ille malo Galateum carmine vexat,  
 8 et sanctum nobis pellit ab urbe virum.  
 9 Tu ne ausus, Priuli, Galateum pellere ab urbe,  
 10 asperaque in dulcem dicere verba senem ?  
 11 Tu ne auctor Romae montani ut munera vici,  
 12 fumosi ut curam praeferat ille laris ?  
 13 Aureus ille senex, vitae cui licia Parcae  
 14 intacta ducunt candidiora nive ?  
 15 Qui nec Principibus, urbi nec scilicet aegrae  
 16 formidet medicas adplicuisse manus ?  
 17 Quemque adeo nemorum custos, pecorisque magister  
 18 mandarit sacro summus adesse gregi,  
 19 hinc eat, et fuscas ignoti ad flumina Melphoe  
 20 pascere cum vili conjuge pergat oves ?  
 21 Quid si animis juvenumque senumque est illius aequae  
 22 dulcior Hyblaeis alba senecta favis ?  
 23 Quid si illum retinent quicumque Amaryllida curant,  
 24 hujus ad exemplum peccet ut illa minus ?  
 25 Uxorem hunc tamen ad vetulamque humilemque releges,  
 26 frigida ut in viduo ne cubet illa toro,  
 27 quae puras pridem didicit perducere noctes,  
 28 et monitis casta est, et proba facta viri.  
 29 Sed tu Flamini potius jam nobilis umbra,  
 30 et multum insigni conspicienda lyra,  
 31 ni te caeca hujus caepere obliviae lucis,  
 32 cum tibi mors avidas intulit atra manus,  
 33 huc ades, et Priulum compescas : nam male nobis  
 34 jamdudum insolito versus in ore sonat.

C\_2 v.1 Ut capta rediens Helene cum conjuge Troja,  
 2 lento homine atque animi lenis nimiumque remissi  
 3 incidit in caedem ipsam, et funus forte sororis,  
 4 quam praeceps miseri virtus jugularat Orestis,

5 succisam de more comam missura sepulto  
6 Germanae cineri, fertur dempsisse capillo  
7 vix tandem e summo paulum, ne forte placeret  
8 tonsa minus metuens Spartanis improba moechis :  
9 haud aliter, Galatea, malis erroribus actus  
10 nuper ego, et Phrygios nautas, Paridemque secutus  
11 aufugi longe : atque idem, rediit tamen ut mens  
12 ad sese peregre nimium remorata, protervae  
13 ornamenta fugae sensim lenteque repono :  
14 parvi etenim refert Venerisne cupidine, ut illa,  
15 incensus, pulchra vel saucius ambitione,  
16 tramite declinem recto, violemque pudorem.  
17 Debueram dudum crinem secuisse decorum ;  
18 hoc est argentum, comites, et stragula, caenas,  
19 lususque, et Musas missas fecisse loquaces,  
20 intrepidus nuper curatae mentis, et acer  
21 corrector : sed enim pravus populi pudor obstat ;  
22 hunc propter pavidi phaleris amicimur ineptis,  
23 nec sicci madidam audemus, veriti bene potum  
24 convivam vulgus, collo dempsisse coronam.  
25 Dedecus ambitio pulchrum est, vitiumque faventis  
26 laudatum populi studio : I bone quo tua virtus  
27 te vocat ; i pede fausto, et nomen laudibus auge.  
28 Aequales aiunt comitesque piique propinqui :  
29 quod si natura, aut ratio virtutis habendos  
30 Germanas, propriasque notas evincat honores,  
31 publice ut aes signant, extemplo ut noscere, nummus  
32 quanti quisque siet, possint ; per turbida Ponti  
33 curramus rapidi maria, et gelidas properemus  
34 ipsa hieme in media tantum ad decus ire per Alpes,  
35 obliti podagrae nervos urentis et artus.  
36 Nunc pravos inter tituli discrimen inanes,  
37 atque bonos nullum signant ; saepe et toga pectus  
38 candidius multo, et majus pulla arctaque textit,  
39 quam laxi Tyrioque infecti murice amictus :  
40 Nam si legitimum nobis virtutis inurant  
41 fasces et tituli signum, mercetur honores  
42 ipsa vel vita, informis ne prodeat, inque  
43 excusus, Priulusque bonus, simplexque Faernus,  
44 prudens et verae virtutis cultor uterque,  
45 vitrea quos numquam titillat gloria, febris  
46 purgatos hujus. Nos quamvis cesserit horror,  
47 atque aestus, sani nondum tamen usque valemus ;  
48 sicque animus positam reminiscitur ambitionem,  
49 vulnus ut obductum prurit tamen, haeret asello  
50 ut nudo clitellis nonnumquam ulcus in armo.  
51 Vos agite, aureolum tondete a vertice crinem  
52 lascivo huic capiti, atque domi cohibete severi,  
53 non Menelaus uti, erronem me tu, Priulusque,  
54 utroque et melior Polus (quod dicere vestra  
55 pace mihi liceat), nitidaque extrudite Roma  
56 restantem : ut duri mulam quandoque cerebri  
57 luctantem in trivio, atque equiti parere negantem,  
58 sibilo agunt primum et magnis clamoribus ; inde  
59 prosiliunt longis armati fustibus : illa  
60 nixa diu, tandem plagis deterrita currit.

v.1 Si te cura vigil Sophiae delectat, et acre  
2 ingenium vires si sufficit, utere porro  
3 munere tam claro Divum : sic rectius, atque  
4 commodius multo, longeque decentius aevi  
5 quod tibi cumque neant Parcae victurus amicae.  
6 Nec de te plebis quae sit sententia, magni  
7 securus pendas : ignarum pleraque vulgus  
8 pravo metitur modulo ; tu negliges, et isto,  
9 qui nunc te exercet, fugias decedere campo :  
10 an populi arbitrio quisquam, plebisque, bonorum  
11 posthabeat sanus plausum, quem jure feres tu ?  
12 Quandoquidem cunctos, quicumque feruntur eisdem  
13 in spatiis, jam recto nimirum, ac sapiente  
14 iudice praecurris Bembo : cum hic interea nos  
15 desidia arguimur populo, ne forte probari  
16 credideris genus hoc vitae simplex ; etenim ad res  
17 versiculis missisque jubent accedere nugis,  
18 ex umbra et tenebris in solem exire diemque ;  
19 et gnavi me segnem culpant. Altera blando  
20 pars animum integrum queritur me dedere amori  
21 per luxum, et patruī verbis objurgat acerbi :  
22 qui simul ac stomachum, quamquam permulta ferenti  
23 ut placem, norunt ; rehero graviora receptis.  
24 Ut proprium servas auri sceleratus acervum  
25 undique congestum, neglectis, jura fidemque  
26 exponis tota venalem, legibus, urbe :  
27 cum miserum atque inopem dejectum rure paterno  
28 deseris, atque adeo prudens nummisque redemptus  
29 produs ; et emunctum producta lite clientem  
30 usque adigis, dum aedes etiam proscribat avitas.  
31 Turpiter aut ultro servis, plerumque furentis  
32 mancipium domini : manibus ten' ferre catinum  
33 cenanti ingenuis ? Aliam ten' sumere mentem  
34 deterioris heri ad nutum, atque aliam ? Haud animo par  
35 est generi, quicumque suos apud ortus honeste  
36 imperio abjectus paret, trepidusque ministrat.  
37 Quid quod amicitiae, caro dum cuncta lucello  
38 metiris, cultus tu nullos, nullaque nosti  
39 officia ; enormique decor concinnus inepto  
40 quid distet nescis ? Pecudis nae nos cute tectam  
41 naturam inspicimus : quid publica cum geritur res  
42 per te, si furtis quo sit locus, atque rapinae,  
43 bellorum causas jussus praecidere, nutris ?  
44 Desidia, aut tu me censor culpaveris oti ?  
45 Flagras ambitione, ardesque cupidine saeva  
46 purpurei, haud vitam hanc moresve decentis, amictus.  
47 Uror amoris ego haud me dignis ignibus ; esto  
48 quando ita me insimulas : quid tum ? Peccamus uterque ;  
49 nil est cur tu me prior incuses, graviora  
50 offendens multo, et nimium distantia recto.  
51 Nam qui vel parvo conductus pejerat, et qui  
52 tamquam turbata victum sibi quaeritat unda  
53 piscator, pacem bellis ubi miscuit, idem,

54       judicium atque crucem si demas, ire latrones  
55       inter jam velit, et jugulare homines : sua quisque  
56       defendunt lenes vitia, et minuunt ; aliena  
57       carpere plerique austeri, nimiumque severi.  
58       Adde quod incurata gerens, serpentiaque intus  
59       ulcera, corrupto tandem pulmone peribis ;  
60       purgandum illius cum te committere morbi  
61       non medico studeas. Annus non unus, et alter  
62       imminuat quidquam : pulchris macrescere captum  
63       divitiis frustra tantum doleamus amici.  
64       Me mea post paulo febrisque reliquerit ultro  
65       frigidior veniens morbum cum leniet aetas,  
66       intereaque veteris non animum gravis urget.  
67       Me tamen insequitur populus : quid si nihil omni  
68       est actum in vita nobis, quod laedere quemquam  
69       possit ? Non ego rem, mihi sollers quam pater auxit,  
70       in Venerem effundam, neque lite petitus amator  
71       injusta, omittam fundumque laremque tueri :  
72       nec fuerim, mimam quo sit mihi laxius unde  
73       munerer, usquam inopi nimium contractus amico.  
74       Denique non mos, non aetas alienior : adde  
75       ille etiam laqueo statuit qui nectere collum  
76       auratane trabe, an de putri pendeat ulmo,  
77       si quicquam referre putas, quam ego honestius, ac tu  
78       intereo ; seu me Muis et Apolline claro,  
79       seu quis me pulchro captum culparit amore :  
80       me tamen insequeris, colloque ac faucibus anguis  
81       indignum clamat fucos, segnem malus urget.  
82       At tecum siquis sic egerit : itur ad Urbem  
83       Europa ex omni, credo, ut vestigia summo  
84       inspiciant veteris veneranda in colle Quirini,  
85       sive in Aventino Romae : ac non perditus exul  
86       expes ut quisque est, huc sese contulit, ut si  
87       Bargulum ad Illyricum dicas, latrociniumque  
88       concessum, nimium merito dicatur acerbus,  
89       oderit et rabidum populusque patresque venenum.  
90       Non ego : nec vulgi si irritor vocibus, hoc nunc  
91       immeritum quemquam latrarim : possum ego multos  
92       eximere e numero, turpis contagia morbi  
93       quos nulla attigerint, sanos recteque valentes ;  
94       sincerum ut Molsae pectus, lavere salubres  
95       Pierii quem fontis aquae, puroque Camenae  
96       curatum cantu servant ; studioque referti  
97       spectatus dudum tanto plausuque theatri  
98       Ubalдинus, inops agrisque larisque paterni,  
99       virtutis locuples : populo spectante Quirini  
100       hunc non donatum scaena decedere turpe est.

IN MULIERES NUPTAS HIPPOLYTI. EX EURIPIDE.

C\_4       v.1       Concinnum in auras luminis hominum malum  
          2       cur protulisse dixerim te feminas,  
          3       Juppiter ? Etenim erat si serendum hominum genus,

4       haudquaquam oriri debuit de femina ;  
5       sed emere liberorum oportuit sibi  
6       semina genus mortalium, ferens tua  
7       in templa tantum aut aeris, aut auri gravis,  
8       ferrive, quanti unus foret quisque pretii,  
9       domosque habere feminis sine liberas.  
10      Nam nunc in aedes vehere cum malum parant,  
11      extemplo opes pro eo rependunt patrias.  
12      Atque hoc liquet malum esse magnum feminam ;  
13      namque ad alienos pellit hanc ex aedibus  
14      a se pater prognatam et eductam suis,  
15      additque dotem, ut liberet sese malo :  
16      at ille contra, stirpem in aedes noxiam  
17      qui ad se recepit, laetus est cum pessimam  
18      pulcherrime ornat statuam, et auro et purpura  
19      certat, beatas sumptibus miser domos  
20      exhauriens, atque haeret : etenim splendidis  
21      affinibus gavisus uxorem asperam  
22      perfert ; proba at si ea, sed propinqui futiles  
23      evenerint, bono miseriam comprimit.  
24      Verumtamen commodius evenit, quibus  
25     >nullius uxor sedet in aedibus pretii,  
26      ac fatua : nam sapientem ego odi feminam ;  
27      meae nec intra venerit limen domus,  
28      quae, quam mulierem sapere par est, plus sapit.  
29      Facilius etenim perspicaces edocet  
30      astutias, dolosque Cypris improba :  
31      at fatua mulier ob stoliditatem sapit.  
32      Penetrare nempe ad feminas oportuit  
33     >nulli licere familiarium, simul  
34      sed beluarum includere rabiem domi  
35      loqui insciam, sermonem ut inferre alteri  
36     >ipsae nequirent, nec alii illas adloqui :  
37     >nunc facinora, intus quae malae mala cogitant  
38     >dominae, foras haec familiares efferunt.

CUM AB URBE PROFECTUS, VENETIAS IRET.

C\_5    v.1    Humida Tyrrheni fugientem flamina venti  
          2        caelumque pestilens Lati,  
          3        me Venetum excipient mitissima littora, et aurae  
          4        salubriores, putribus  
          5        jam membris senio, et podagra turgentibus acri,  
          6        quae flare suerunt nec mala  
          7        imbutae tussi, neque in ipsis fluctibus udae,  
          8        Faerne, mireris licet.  
          9        Prorsus, qui Romam liquit, rerum ille carebit  
         10       pulcherrimo spectaculo ;  
         11       nec coetum aequae illustrem hominum, nec Palladis aequae  
         12       instructa pectora artibus,  
         13       terrarum ut cunctas lustret circumvagus oras,  
         14       offendet usquam gentium ;  
         15       fragmina nec muri aspiciet majora vetusti

16 non diminutis urbibus :  
 17 in primis Bromii latices, et frigida siccis  
 18 requiret idem faucibus  
 19 pocula lympharum sub terras condita opacas,  
 20 aut fossa Lucanam in nivem.  
 21 Ipse ego, ferventi delapsam ex imbrice lympham  
 22 nuper, nec altos in scrobes,  
 23 et vappam, salices inter quae nata palustres  
 24 caeni saporem patrii  
 25 potanti offundet, mediis fervoribus, ardens  
 26 arente fauce traxero.  
 27 Ast idem hospitibus placidos, et dulcia pacis  
 28 impertientes commoda  
 29 mortales cernam, et locupletem civibus urbem  
 30 dispar probantibus nihil :  
 31 cernam loricam violentam, ensemque superbam  
 32 inermibus suffragiis  
 33 constrictum, et dirae exsecratum caedis amorem  
 34 longe exsulantem gentium.  
 35 Illic cum cano prudentia sera capillo  
 36 paret vicissim, et imperat :  
 37 illo se nusquam propendens contulit Aequum  
 38 bonae comes concordiae,  
 39 fraudibus Hesperia ut pulsum est, timuitque rapacis  
 40 uncas licentiae manus.

DE UBALDINO BANDINELLIO

C\_6 v.1 Tam caro capiti jam nimium diu  
 2 munus, Melpomene, lugubre naeniam  
 3 debemus : querulam prome, puer, lyram.  
 4 Siccis non ego te genis,  
 5 maerore aut vacuus pectora lurido  
 6 laudabo ; neque desiderium morae  
 7 nostrum diminuunt, aut hominum atterens  
 8 furtim tristitiam dies.  
 9 Te morum studium, te sapientiae  
 10 cura, et nobilium fecerat artium,  
 11 Ubaldine, quies gnava, operosaque  
 12 Musarum otia divitem  
 13 non auri, pavidis addere mentibus  
 14 mordacem validi sollicitudinem,  
 15 non ostri, experiens quod reparat Ligur  
 16 nobis merce superflua.  
 17 Irritet, fugiens pauperiem, aequora  
 18 iracunda levi navita palmula ;  
 19 aestatem Libyae perferat igneam  
 20 idem, idem Haemonias nives  
 21 vestigans lapides, femina quos petit  
 22 vel flavo capiti, vel tereti decus  
 23 collo. Mentibus Atlantiades Deus  
 24 calcar subdere inertibus  
 25 ludens dum cuperet, fertur inutile  
 26 prompsisse aurum, acuens illo hebetes, uti

27 exercet puerum non vegetum nuce  
 28 mater sedula futili.  
 29 At fortes (quoniam robore stat suo  
 30 virtus, Peliaca ut quercus, et aequoris  
 31 saxum Carpathii) nec famulae decet  
 32 auscultare pecuniae,  
 33 Nec firmos fragili fidere : defluit  
 34 fortuna, ut subitis auctior imbribus  
 35 extemplo aret aquae rivus inops suae,  
 36 nimbos si pepulit Deus.  
 37 Tu dulcem es Latii copiam adeptus, et  
 38 Graium divitias, et dominam urbium  
 39 artem : quo mihi nunc, et patriae occidis  
 40 multo flebilior tuae ?  
 41 Arni maeret enim fluminis accola,  
 42 florens ingeniis accola fluminis  
 43 Arni, tot te animi compositis diu  
 44 thesauris, tacitum mori.  
 45 Ut navim pelago praecipitans Notus  
 46 vertit, quae remorans largiter alveum  
 47 implerat spatiosum : illa Arabum ferens  
 48 gazas, illa ebur Indicum,  
 49 et gratum redolens thus Superis ferens,  
 50 et pexa e foliis vellera sericis,  
 51 Aetnaeae Cereris plenaque frugibus,  
 52 portus strenua patrios  
 53 ditaret, populos et procul oppidis  
 54 effusos studio ad se raperet lucri :  
 55 nunc saevi arbitrio volvitur Adriae  
 56 caecis obruta fluctibus.  
 57 At tu, progenies aurea fulmine  
 58 gaudentis Jovis, o desere ne meum  
 59 carmen, Musa : diu sed vigeat sacri  
 60 custos pagina nominis.  
 61 Hic me Castalii tramitis arduos  
 62 flexus, Aeoliae hic me docuit Lyrae  
 63 ictus : o nebulam oblivio, et arceat  
 64 furvam a nomine splendido  
 65 noctem ! Ne volucris filia temporis,  
 66 ne rubiginis atrae admoveas meis  
 67 dentem carminibus, neu nigra nubibus  
 68 condas Italiae decus.

AD HANNIBALEM ORICELLARIUM NEPOTEM :  
 DILIGENTISSIME CAVENDUM ESSE AB ADULATORIBUS.

C\_7 v.1 Mentem blandiciae perdere credulam  
 2 norunt, non secus ac mortiferas malae  
 3 multo melle novercae  
 4 olim cum medicant dapes.  
 5 Viro imbuta malo dulcia murmura  
 6 mendacis fuge linguae, et teneras neque  
 7 falsis laudibus aures

8 admoris, cupidus puer  
 9 erarum, bona ni decipit indoles ;  
 10 et tete excutias, tinniet improba  
 11 nugas cum modulans vox,  
 12 quas atro rapidi ferent  
 13 cum fumo boreae, et pulvere sordido ;  
 14 ni quicumque libens dicier audies  
 15 verbis, te labor illum  
 16 rebus finxerit arduus.  
 17 Sensus ut juveni pellicit intimos  
 18 virgo candida, cum turgidulas tegens  
 19 nulla veste papillas  
 20 molli illum recipit sinu ;  
 21 sic laudes animum vera ubi concinunt,  
 22 permulcere solent : nec mulier tamen  
 23 ut cantu sine dulcis  
 24 spernit psallere tibiae,  
 25 sic virtus, populus si taceat, sedens  
 26 cessabit : nihilo nec minus obsita  
 27 noctis ferveat umbra,  
 28 et deserta silentio,  
 29 quam cum per medias inclyta ducitur  
 30 urbes, et celebris voce faventium  
 31 direpta hostibus arma  
 32 affigit foribus Deum.  
 33 Cum laudis faciem sumpserit impudens  
 34 fraus, affinxerit et cum tibi non tua  
 35 blanda nomina voce,  
 36 et dulcem illecebram struet ;  
 37 ne te praecipitem trudat amor tui,  
 38 ne nugis capiare, ut volucris solet  
 39 dulci parvula cantu  
 40 tecti vepribus aucupis.

#### AD FORTUNAM

C\_8 v.1 Expers consilii, quae pede lubrico  
 2 incedis, zephyris mobilior Dea,  
 3 et fluctu Ionii incertior aequoris ;  
 4 te, cum laeta sinum pandis, et uberes  
 5 fundis divitias, ac miseris ades  
 6 improvisa, boni progeniem Jovis  
 7 dicunt. Tu ratio, tu sapientia,  
 8 servatrix eadem crederis urbium :  
 9 virtutisque sedens in solio nites.  
 10 Sed mox torva domos Regum ubi concutis  
 11 et congesta diu munera, turribus  
 12 dejectis, subito turbine dissipas ;  
 13 vanae te comitem stultitiae ferunt  
 14 deliram. Immeritum tu, titulo bonis  
 15 dempto, nobilitas ; frena superbiae  
 16 atris tu manibus detrahis ebriae  
 17 successu, et ruere hanc sic temere ad suum



18 rides arbitrium, mox humilem truces  
19 vultus deposituram. O utinam meae  
20 oblita ostiolum praetereas domus ;  
21 seu tu sanguineis oppida territans  
22 bellis, ingrederis per Latium fera,  
23 seu pacemque gerens, et populus beans  
24 pennis involitas versicoloribus !  
25 Nam sic instabilem visere te meos,  
26 vel laetam atque hilarem, pertimeam lares.

DE FRANCISCO TORNUNO CARDINALI

C\_9 v.1 Quo tollor pavidus ? Quo feror insolens ?  
2 O quae Castaliis fontibus aureos  
3 crines, osque lavis virgineum, genus  
4 magni Melpomene Jovis,  
5 cruri purpureos indue candido  
6 soccos ; nam juga transmittimus alpium  
7 soli : unus enim est mi comes argui  
8 mendaci metuens pudor.  
9 Vatem, Diva, tuum tu moneas viae :  
10 si pure colui vestra puer sacra  
11 fervens mente nova, si senior tua  
12 nunc vestigia persequor  
13 quercus umbriferas inter, et ilices  
14 quaerens aérias. Non ego divitum  
15 vanis edidici perstrepere auribus  
16 empto carmine : non ego  
17 corruptus pretio nunc meditor parum  
18 castae ducere te ad vestibulum domus.  
19 At tu prome, puer, prome age barbiton  
20 cessantem nimium diu.  
21 Spartanus veluti, per nemus asperum  
22 dumis insidiantem ut pecori lupum  
23 egit, cum fremitu et laude faventium  
24 pagorum redit ad gregem,  
25 villorumque globos sanguine sordidos  
26 fert rictu generoso, ex jugulis feri  
27 vulsos hostis : aquas sic repetit sui  
28 Tornunus Rhodani, bene  
29 defensa Hesperia clarus, et impigri  
30 compresso celebrer militis impetu,  
31 Bellonae ancipitis numina militis  
32 horrere immemoris diu.  
33 Alternae sedenim ille admonuit ferum  
34 fortunae, celeri vertere turbine  
35 gaudentis vacuum corpus, uti choros  
36 lascivae juvenes ubi  
37 ducunt, et Zephyris huc agitantibus  
38 atque illuc, Phrygio Sidonias acu  
39 illusas chlamydes, instabili citae  
40 lustrant atria poplite.  
41 Directa ingrediens passibus Aequitas

42 ad normam paribus, nec modulo sibi  
43 majore, atque aliis commoda dividens,  
44 quorum non dubia est comes :  
45 illos aere micans non peditum cohors,  
46 non saevis equitum turma frementium  
47 horrens cuspidibus terreat, aut mari  
48 vectae caeruleo rates ;  
49 nam recto favet, et justitiam bono  
50 plerumque aequus alit Juppiter exitu,  
51 obscuram et tonitru et fulmine territans  
52 fraudem, atque implicitos dolos  
53 nudans. At vigilem fallit amabilis  
54 acrem simplicitas, et super aeneas  
55 accersita fores, et super ardua  
56 pernix moenia transilit.  
57 Hanc puro retinens in gremio fovet,  
58 sincere Italiam et diligit hospitam  
59 Tornunus, patriam civis uti suam,  
60 natorum, et memor aureae  
61 civis conjugis : hunc purpureus pudor,  
62 elutisque fides candida sordibus,  
63 et presso digitis ore silentium  
64 arcanum insequitur, neque  
65 infandumque nefas ense domans Themis  
66 districto comitem se negat inclyto  
67 impolluta seni, mundave veritas  
68 albo lucida pallio.  
69 Ergo permadidos felle animos nigro  
70 regum diluere est ausus, et aspera  
71 permulcere manu pectora turbidae  
72 plena irae, intrepidam struens  
73 pacem, quae manibus sanguineis diu  
74 attrectata, magis post niteat, velut  
75 fulgentes lapides aerave lucida  
76 cum tergere volunt, luto  
77 conspurcant ; id agens egregius senex  
78 Celtarum procerum sanguis, et oppida  
79 firmans obtinuit Marte labantia  
80 quassante, et miseris suas  
81 urbes restituit civibus, impigram  
82 pacem, tela cruenta inter et asperos  
83 procudens sonitus ferri : etenim gelu  
84 torpens quam peperit timor  
85 pacem, serviet illa, horrisoni simul  
86 Bellonae strepitus ingruerint ferae,  
87 imbellis. Sedenim desine fervidos,  
88 dulcis Melpomene, modos ;  
89 nam nec cuncta pudor fert, neque veritas  
90 cum lucro alma decorum explicuit caput  
91 semper : tum melius tecta silentio  
92 virtus invidiam latet.

2 verum pernitido, atque perfluenti,  
3 tamquam Palladii liquore olivi  
4 complures properent linire chartas :  
5 atque, araneoli angulos domorum  
6 ut tela tenui solent replere  
7 quantumvis facile, ore fila parvo  
8 nentes longa, ita compleant libellos  
9 totos versiculo minutiore :  
10 hi vatum in numero anne sint habendi  
11 vulgus viderit, atque siqua vulgo  
12 pars vatum est similis, quibus Thalia  
13 Flacci sordeat, optimi poetae,  
14 quod is versiculo minutiore,  
15 atque perfacili, atque perfluenti  
16 totas spreverit occupare chartas.

DE MARGARITA REGIS GALLORUM SORORE

C\_11 v.1 Heu mos, ut atris saepe coloribus  
2 contaminatus purum animum inquinans  
3 vix eluendis sordibus per  
4 taedia solliciti laboris !  
5 Me vitreis et fontibus, et coma  
6 silvae virentis laetum, et amabile  
7 ruris silentium sequentem  
8 Aoniae puerum Camenae  
9 mersere sacri gurgite fluminis,  
10 intacta ut essem candidior nive :  
11 immunda sed mox polluit me  
12 Roma luto nimium tenaci,  
13 quod longa nec dum discutiatur dies,  
14 sacri nec amnes hactenus abluant ;  
15 quin horret et me, et ora caeno  
16 foeda nigro refugit Thalia.  
17 Vulgus venenis vertere Colchicis  
18 plerasque mentes aptius, eripit  
19 sensus priores, atque mutat  
20 alba nigris, maculisque gaudet :  
21 impurus atra quem populus manu  
22 tractarit, ille et decolor et niger  
23 erit diu, obductamque faecem  
24 vix iterans removebit annus,  
25 notam relinquens : at mihi candidae  
26 mandanda virgo est regia paginae,  
27 Farnesio jubente, bacca  
28 purius illa nitens Eoa,  
29 intaminato digna cani, Deae,  
30 est ore, Lucis Castaliis Deae  
31 quae vulgus arcetis profanum,  
32 et nitido prohibetis amne :  
33 o taetra tandem consilia haec bonae  
34 oblivioni tradite turbidae ;  
35 labemque nobis rore sacro

## DEFLET MORTEM HORATII FARNESI.

C\_12 v.1 Te flebimus, flos Hesperiae puer,  
 2 madente multis carmine lacrimis ;  
 3 et debitam laudi Thalamiam  
 4 naenia lugubris occupabit :  
 5 ille, ense pectus qui tibi candidum  
 6 trajecit, iisdem vulneribus Latii  
 7 cecidit et spes, et virescens  
 8 Italiae decus ense carpsit,  
 9 Horati, eodem. Non ego sauciam  
 10 ictu parentem mortifero tuam  
 11 in lacrimas culpam ruentem,  
 12 nec viduae gemitus puellae  
 13 comperere ausim carmine : lugeat  
 14 immo illa dulces funere nuptias  
 15 miscens amaro, nec sat umquam  
 16 te misera illacrimata flerit.  
 17 Jam nec capillo parcere, nec genis  
 18 aequum puella est regia : lacrimis  
 19 efflagita Martem cruentum  
 20 uberibus, pueri cadentis  
 21 dulces ocellos, et tua gaudia,  
 22 quae conciderunt exorientia :  
 23 ut stella, quae vix dum coorta  
 24 Hesperium occultitur sub aequor.  
 25 Non ille avorum, nec soceri immemor,  
 26 dulcique flagrans igne tui, neci  
 27 ultro obvios gressus superbos  
 28 intulit, intrepidumque pectus  
 29 objecit hosti, qua violentius  
 30 Bellona nigris foeda cruoribus  
 31 est visa Martis saevientis  
 32 sanguineas glomerare turmas.  
 33 Nunc laetus umbras vulnera nobiles  
 34 ostentat inter pulchra, nemus tenens  
 35 beatum, ubi Hectorque, et Latini  
 36 sunt veteres, Rutulique Reges.  
 37 At, Thespiis o grata sororibus,  
 38 obliviosi pellere temporis  
 39 idonea umbram atraeque mortis,  
 40 gloria, vulneribus mederi ;  
 41 o trade Musis, et Polyhymniae  
 42 custodiendum nomen Horatii  
 43 clarum, et domum Farnesiorum  
 44 hanc, Latii Italiaeque lumen.

IN PETRUM VICTORIUM

C\_13 v.1 Nobis, Calliope, magnum alienum aes superest vetus,  
 2 nam pridem ratio scripta mihi est pectore in intimo.  
 3 Tu quaeso patere a te soluam quidquid id est, Dea.  
 4 Non Victorius est exiguis versibus, aut lyrae  
 5 aptandus tenui : vester amat Phoebus eum, neque  
 6 ulli plura bonum munifica crediderim manu  
 7 largitum : uber enim sicut ager ruraque pampino  
 8 mitis florida Iacchi, et Bromio et frugibus oppida  
 9 circum plena hilarant ; muneribus dives Apollinis  
 10 Etruscos populos ingenii fruge bona bonus  
 11 ille enutrit alens. Sic senior vertice Pelii  
 12 olim Phillyrides frondifero semifer uberi  
 13 Graios nobilium seminio dicitur artium  
 14 ditasse. Ille dies e medio tollere qui potest  
 15 ritu Cecropio scripta tibi clara volumina,  
 16 victori, eripiet roriferis sidera noctibus,  
 17 idem subtrahet et piscibus, idem aequora nantibus.  
 18 Contages populi te tetigit lurida morbidi  
 19 numquam, te ambitio curriculum praetereuntium  
 20 obliquis oculis aspiciens nec pepulit ; neque  
 21 illi roboris hoc attribuit Juppiter, ut sacrum  
 22 Phoebos discutens commoveat pectus, originem  
 23 a Coeo licet et Porphyryone a valido trahat,  
 24 conatis solium Caelicolum scandere fratribus.  
 25 Non res, cui cumulus semper abest, cunctave metiens  
 26 aurum te pupugit ; te nitidum Musa salubribus  
 27 fontis, Castalii lavit aquis candida ; tu meae  
 28 es lumen patriae percelebris : sat mihi fructuum  
 29 ignava haec tulerint exilia in montibus asperis  
 30 quaesita, argueris desidiae ni tibi debitum  
 31 carmen, nive inopis quod citharae dinumerem modos,  
 32 acceptum id mihi te ferre neges, jureque respuas.

C\_14 v.1 O quae terrificos vicina e turre cietis  
 2 tot nocte aera sonos tinnula, totque die,  
 3 si mihi venturae noctis dormire licebit  
 4 per tot tinnitus particulam misero,  
 5 nec cum defessos jam jam continget ocellos,  
 6 vos metuet subito, diffugietque sopor :  
 7 ipse ego cras vobis ultro tortique rudentis  
 8 spiras, et firmo e robore fulcra dabo,  
 9 tutius ut sonitu boreamque lacescere saevo  
 10 possitis posthac, et maria, et tonitrus.

C\_15 v.1 Cum cinctum nimbis, et nigra nube sedentem  
 2 deficient olim flammea tela Jovem,  
 3 cum sueta in Pontum plenis decurrere ripis  
 4 praecipitem sistent flumina prona pedem,

5 fluctibus et raucis Siculum pertundere litus  
6 Ionii cum jam desinet unda maris :  
7 tunc quoque vicinis suspensa in turribus aera  
8 cessabunt bombos edere raucisonos.

C\_16 v.1 Cum Mare nec fremitus edet, nec sibila venti,  
2 nec nimbi, abruptis nubibus igne, sonum ;  
3 et cum nubigenae Thaumantidis ora sinumque  
4 deficient croceus purpureusque color ;  
5 cum Pontum nitidi pisces, cum litora pictae  
6 conchae, cum densum deseret umbra nemus :  
7 turre tua tunc, Corneli dulcissime, raucos  
8 tinnula cessabunt aera ciere sonos.

#### AD GERMANOS

C\_17 v.1 Quod vos apud, Germaniae humanissima  
2 gens, culpor, atque turpioris flagitii  
3 ornasse dicor, nescio quid, laudibus,  
4 impuro id est ab homine confictum, et levi :  
5 testisque tellus omnis est mihi Itala,  
6 tantum me ab omni abesse turpitudine,  
7 quantum ille ab omni laude semper abfuit.  
8 Annis ab hinc triginta, et amplius, scio,  
9 nonnulla me fortasse non castissimis  
10 lusisse versibus ; quod aetas tunc mea  
11 rerum me adegit inscia, et semper jocis  
12 licentius gavisata, concessu omnium,  
13 juvenata : quod fecere et alii item boni.  
14 At nunc abit juvenata, lusus permanet ;  
15 et carmini illi nomen adscribunt meum  
16 idem, quod ante erat, nec adscribunt diem  
17 eandem, erat quae quando id olim lusimus :  
18 sed quod puer peccavit, accusant senem.  
19 Verum hoc ut ut tamen sit, obscaeni nihil  
20 scripsisse me scitote : namque tum quoque  
21 festiva nos a turpibus secrevimus,  
22 a mollibusque impura : cumque versibus  
23 laudavimus Furnum, haud mares laudavimus  
24 (quod ille ait per maximam calumniam)  
25 sed feminas plane, ut videre carmine  
26 ex ipso adhuc potestis : atque moribus,  
27 industria, pudore, continentia,  
28 lasciviam nos carminis correximus  
29 illius, emendavimusque seriis  
30 jocos, boni quod literis quam plurimi  
31 testantur ; inter quos senex ille optimus  
32 est Bembus : is me versibus lectissimis  
33 ornavit, is pedestribus sermonibus,  
34 cum maxima esset dignitate praeditus,

35 et splendide habitare in mea dixit domo  
36 virtutem, homo gravis, senectute ultima.  
37 Eburnea tu, Flamini, me concinis  
38 lyra, et libellos dicis aureos meos.  
39 Victoriousque candidus me laudibus  
40 complexus omnibus, vereri vos vetat  
41 quid turpe de me. Non ego possum infici  
42 calumniae caligine ulla turbidae,  
43 Quando tuetur fama me consentiens,  
44 constansque vatum, totaque testimonio  
45 et acta pure vita luce in urbium  
46 clarissimarum. Diligit me civitas  
47 beata Venetum, ut diligit cives suos.  
48 Quid, clariorem habere quod me neminem  
49 se dictitat flos Patria urbium mea ?  
50 Quid nobile oppidum Bononiae, artium  
51 causa bonarum, cognitum vobis quoque ?  
52 Equiritote, amabo vos, quid sentiat  
53 de me : mea illa civitas nutrix fuit ;  
54 namque erudivit illa nos a parvulis.  
55 Quid ipsa Roma ? Praedicanti ignoscite  
56 de me mihi ; non tota nos complectitur  
57 amore, mater liberos uti sinu  
58 complexa gaudet ? Quare habere transfugae  
59 de me fidem nolite perditissimo :  
60 sed enecate in dies magis siti,  
61 paedoribusque, et esuritionibus :  
62 quod belle adhuc fecisse vos existimo,  
63 virtute natio, et fide, atque industria,  
64 et literis clara, ingenique gloria.

IOANNI FRANCISCO IUNIO, SUMMO INTER FLORENTINOS LOCO NATO,  
CUIUS ARDENS IN PATRIAM CARITAS SCELERATA SICARIORUM CRUELITATE EXTINGTA EST.

C\_18 v.1 Multa tui a se viventi tibi debita cives  
2 extincto hoc parvo munere persoluunt.  
3 Accipe ab exilii sociis, fortissime, bustum  
4 et scito patriae vulnus id esse tuae.  
5 Quique tuum saxo condunt cinerem hos tua corde  
6 condere sub memori fortia facta puta.  
7 Non cives frenant pro libertate ruentes  
8 caedes sanguineae et vulnera sed stimulant.

IN G. SALVAGUM

C\_19 v.1 O cadavere tabido  
2 foetens, Salvage, taetrius,  
3 nigris foedior anguibus,  
4 obscaena occule te, miser,  
5 Urbis Romuleae pars.  
6 Cernis ! plaustra fimum velut,

7 si gerentia venerint  
8 casu civibus obviam,  
9 qua tu iter facis, illico os  
10 avertunt aliorum.  
11 Namque est stercoreus tibi,  
12 latrinae velut halitus :  
13 fundunt quem ora, velut nates  
14 aegroti senis, arida,  
15 podex dentibus auctus.  
16 Ah ! prodire die cave :  
17 Urbis, Salvage, dedecus,  
18 gentique opprobrium tuae,  
19 obscaena occule te, miser,  
20 Urbis Romuleae pars :  
21 nigra nam velut inguina,  
22 deformesque nates palam  
23 denudare probos pudet,  
24 sic tu, Salvage, de die  
25 cum prodis, pudet urbem.  
26 Cum bubonibus ambula,  
27 noctuisque ululantibus,  
28 vespertilio ubi evolat  
29 furvus, umbra ubi manium  
30 prodeunt inhumata.  
31 Aversatur enim, mali  
32 sicut ominis alitem,  
33 occursum populus tuum.  
34 Ah prodire die cave,  
35 tantae dedecus urbis.

#### AD DOMINUM PETRUM BEMBUM EPISTOLA

C\_20 v.1 Humani vim, Bembe pater, miramur et artem  
2 ingenii, cui paene nihil reperitur inausum,  
3 nil intentatum. Studuit miracula rerum  
4 indagare, genus varium, causasque latentes  
5 quaerere, et aetherei penetrare recondita caeli.  
6 Admiranda nimis sollertia prisca virorum,  
7 qui res occultas, certis rationibus acti,  
8 explicuere : ac si quondam censoribus illis  
9 usa foret natura parens, dum conderet orbem  
10 sidereos, Caelique globum suffigeret astris,  
11 et circumfuso firmaret in aere terram.  
12 Sed postquam rerum series, quas mystica nobis  
13 abdiderat natura, hominum patuere sagaci  
14 ingenio, et primae explorata potentia causae,  
15 turpe nefas visum est vili recludere vulgo  
16 viscera naturae. Quare prudentibus illa  
17 tradentes noscenda viris, texere quibusdam  
18 figmentis, vulgusque adyto excludere profanum.  
19 Hinc Phoebum intonsum crines dixere ; sororem  
20 Phoebi Dianam veloci indagine terras  
21 cingentem, nunc per montes, nunc per depressas



22 venantem valles. Hinc et finxere Camenas  
23 esse novem, palmamque uni tribuere canendi  
24 Calliopae : dicuntque illam superare sorores,  
25 et suavi cantu, et dulci modulamine vocis.  
26 Quid memorem ulterius, Divosque, Jovemque vocatos  
27 Oceani cultoribus ad convivia ? Amatam  
28 Diti Persephonem, Pani Syringa ? Catenam  
29 caelitus in terras jussam pendere ; Minervam,  
30 jam sterili Junone, Jovis de vertice natam,  
31 Aegide Gorgoneo munitam pectus ; inanes  
32 Aeolidum insultus, et semiambusta Typhoei  
33 membra sub Inarimes aeterna mole sepulti ;  
34 projectos Pyrrhae lapides ; simulacra Promethei  
35 molli ficta luto ; Saturnum parva vorantem  
36 corpora natorum ; succisa virilia Caeli,  
37 et quae plura manent vatium figmenta, latentes  
38 naturae causas simili servantia nodo ?  
39 Nimirum prout haec rerum miracula prorsus  
40 divini fuit ingenii reperisse ; figuris  
41 sic eadem variis texisse fatebimur artis  
42 eximiae. Hinc priscos vates meruisse putandum est  
43 jure hominum laudes, et conciliasse favorem  
44 naturae, tecta quae gestit imagine cerni.  
45 Nescio quos vates haec tempora nostra protervos  
46 educunt, Latii qui haud argumenta leporis  
47 vulgantes, recti sermonis dogmata fraudant ;  
48 Pierios laniant numeros ; sacrasque Camenas  
49 foedant, prostituunt, nudantque : Numenius olim  
50 sicut Eleusinas nimio temerarius ausu.  
51 Hi plumis tentant pavi vestire coracem ;  
52 anseris et crepitosa imitari voce canori  
53 concentum cycni ; suibusque reponere gemmas  
54 immundis satagunt, et ludicra carmina condunt,  
55 quae canat ad limen juvenis malesanus amicae,  
56 aut magis in mensa referat parasitus herili,  
57 et recitent mimi, scurrae custosque tabernae.  
58 Forsitan inquires quid nos juvet esse Latinos,  
59 quid juvet ampullas et sesquipedalia verba  
60 cogere carminibus Latiis, et claudere sensus  
61 arcanos paribus numeris, cum qui legat ista  
62 vix unus, aut alter erit ? Sed aperta Poesis  
63 illorum rudibus dominis plebique placebit,  
64 illorum et magnas volitabit fama per urbes.  
65 Malim vel segni mentem torpere veterno,  
66 aut mea deformes tunicas dare carmina scombris,  
67 quam laudes umquam vulgi captare laborem ;  
68 aut scribam, indoctas aliquid quod mulceat aures.  
69 Tonsorum, et nugis lippos delectet Etruscis.  
70 Laudentur vulgo, signentur et indice : verum  
71 Hectoris exemplo (ut memorat, dum scaenica ludit,  
72 Ennius) optarim potius de classe proborum  
73 quod si contigerit nullum, tunc conscia recti  
74 mens aderit saltem sibimet pulcherrima merces.  
75 Id sedet in primis animo felicis Olympi  
76 affectare viam, et rupto de carcere currum  
77 quadrijugum ad spatii summas impellere metas,

78 et prohibere, jecur viva ne tondeat ales  
79 terrigenae ; neu Sisyphii fallacia saxi  
80 torqueat ; aut lapsura silex, similisque cadenti  
81 immineat ; mensaeque negent alimenta paratae ;  
82 neu rota praecipitet ; neu fusilis unda fatiget.  
83 Cui dabitur vitare sinus Acherontis amaros,  
84 stagnantem Styga Cocyti lacrimabilis undam,  
85 ardentis Phlegetontis aquas, oblivia Lethes,  
86 is vivens meritis Divorum aequabit honores.

#### AD THESPIAM. ALLEGORICE

C\_21 v.1 Vernantem errabat mea Thespia compta per hortum,  
2 ut daret ornatis floridaserta comis.  
3 Narcissi florem floremque legebat acanthi,  
4 albaque purpureis lilia cum violis.  
5 Sed dum forte rosas pulchri decerpit Adonis,  
6 spina repercussam laesit acuta manum.  
7 Hinc lacrimis suffusa oculos, alimenta malignis  
8 non dabis ulterius, prodiga terra, rosis,  
9 dixit, et excisas imo de stipite plantas  
10 exussit, flammis sedula suppositis.

#### DE QUINTIA ET SALIO

C\_22 v.1 Quintia Romanae mulier bene cognita plebi  
2 haec, quam custodem fornicis esse ferunt,  
3 in quam vicinis tentigine concita ab agris  
4 exercet validum rustica turba latus :  
5 quamvis nec longum arguitur cessare per aevum,  
6 sedulaque in lustris nunc quoque praestat anus :  
7 victa tamen Salio concedit ; et ut videt una  
8 tot nocte hunc cupidos emeruisse viros,  
9 "Hunc lectum, hanc (ait) exiguo cum lumine sellam,  
10 arma meae melior, tu puer, artis habe. "

C\_23 v.1 Plaude, Anime, Domino. Quam tua est, Deus meus,  
2 evecta in altum gloria !  
3 Laudem, et decorem indutus, et clarissimo es,  
4 ut veste, amictus lumine.  
5 Tu extendis, ut tentorium, Caeli plagas ;  
6 aquisque summa ejus tegis.  
7 Tu nube, ceu curru, uteris. Tu praepetes  
8 inambulas ventos super.  
9 Mentis solutas, igne radiantes choros  
10 tibi administros comparas.  
11 Tu brutam humum firmissimas super bases

12                   in tempus aeternum locas.  
13 Hanc vastus humor, tamquam amictus, obtegit.  
14                   Insederint jugis aquae ;  
15 si tu increpes, refugerint, vocis tuae  
16                   tonitruo perterritae.  
17 Montes supini, concavae valles, eo,  
18                   quem statuis, haeserunt loco.  
19 Tu terminos immobiles figis Mari,  
20                   ne fluctibus Terram obruat.  
21 Tu emittis in convallibus fontes vagos  
22                   media inter ima montium.  
23 Huc sese agrestes conferunt potum ferae :  
24                   sitim hinc onagri temperant.  
25 Aeriae aves in editis agunt locis,  
26                   per saxa, qua rivi strepunt.  
27 Superne montes irrigas. Opera Tua,  
28                   tellus repletur ubere.  
29 Fenum pecoribus, multiplex herbae genus,  
30                   obsequium ad humanum, creas.  
31 Frumenta terra educis, et mortalia  
32                   quod corda vinum mulceat.  
33 Et ora olivum laeta reddens unguine,  
34                   ut panis intus roborat.  
35 Alis alta campis robora, et Libani arduas,  
36                   quas ipse sevisti, cedros ;  
37 passercoli illic nidulantur : et vagae  
38                   abies domus ciconiae est.  
39 Dant tuta cervis lustra montes editi ;  
40                   cuniculis cavi specus.  
41 Dirimenda Lunam Tu creasti ad tempora :  
42                   Sol novit occasum suum.  
43 Tenebras parasti, unde exstitit nox, confragas  
44                   qua permeant silvas ferae,  
45 scymni leonum in praedam hiantes, ut suam  
46                   sibi a Deo escam quaeritent.  
47 Orto vicissim sole, turmatim sua  
48                   conduntur in cubilia.  
49 Tum vero ad artes, atque culturam soli  
50                   homines diurnam prodeunt.  
51 Quanta opera, Domine, sunt tua ! Omnia affabre.  
52                   Plena opibus est Tellus tuis.  
53 Magnum hoc Mare, immensisque tractibus patens,  
54                   vi piscium innumera scatet :  
55 insunt pusilla animantia, insunt grandia ;  
56                   illac carinae permeant.  
57 Inusitata vastitate Belluam,  
58                   finxisti, ut illic luderet.  
59 Haec cuncta ab uno Te expetunt, suo sibi  
60                   ut tempore escam praebeas.  
61 Te dante capiunt : Te manum ditem Tuam  
62                   laxante, complentur bonis.  
63 Vultum Tuum si avertis, haerent ; spiritum  
64                   si iis adimis, in cinerem fluunt.  
65 Afflante rursum spiritu existent Tuo ;  
66                   faciemque renovabis soli.  
67 Domini perennet gloria : Ipse fabrica

68                   se Dominus oblectet sua.  
69   Labefacta cujus Terra conspectu tremit,  
70                   montesque tacti fumigant.  
71   Cantabo Domino vitam in omnem ; quandiu  
72                   fuero, Deo psallam meo.  
73   Oratio illi grata sit quaeso mea.  
74                   Dominus meum sit gaudium.  
75   Tollantur e terra impii, ut ne sint quidem.  
76                   At tu, Anime, Domino plaudito.

C\_24   v.1   Ante alias, quas Terra colit, quas alluit Aequor,  
2        quasque Polo videt ex alto Sol aureus urbes,  
3        urbs Venetum mediis pulcherrima surgit ab undis,  
4        regia Neptuni, statio dulcissima Nymphis,  
5        humida cui Thetys assurgit, et arida tellus.  
6        Illa cavo fundata mari, caput ardua caelo  
7        molibus insanis, et celsis turribus aequat  
8        moenia, quae tutos, et propugnacula reddant  
9        indigenas : stant templa urbem cingentia circum,  
10       summo erecta Deo, divumque hominumque parenti,  
11       omnia, et una omnes sub religione per annos.  
12       Illa loci munita situ, terraeque marique  
13       imminet, et lentis Orbem moderatur habenis :  
14       namque opibus pollens terrestribus, imperat undis ;  
15       undarumque animos mollit, pelagique furorem ;  
16       et stans mole sua, suspensio caerula nutu  
17       regna premit, pontique immensum temperat aequor.  
18       Classe potens, Nerei conjux, regina profundi  
19       puppe sedet celsa, et ventorum flamina longe  
20       observans, summa cum majestate minatur  
21       gentibus, et trepida formidine litora complet,  
22       et quatit assiduis totum terroribus orbem ;  
23       fortunata, Deumque Italiam data Numine regnis.  
24       Illa eadem se laude nova super aethera tollit.  
25       Ex illo, quo Terra die saepta aere pendet,  
26       non fuit in latis res umquam publica terris,  
27       nec regnum, quod perpetua dititione tot annos  
28       floruerit, dederitque suas sua jura per urbes :  
29       jam tempestates, jam dura pericula passa est ;  
30       non umquam summersa tamen ; nunc altior auras  
31       carpit, et invicta sulcat freta vasta carina,  
32       contemnens imbres pariter, ventosque furentes.  
33       Et jam tempus erit, tantae quo viribus Urbis  
34       parebunt terraeque omnes undaeque repostae :  
35       Sic genius, sic fata loci, sic numina mandant,  
36       sic et bellandi poscunt, populosque regendi,  
37       quas clari retinent artes Patres Civesque,  
38       ipsis ingenio Diis immortalibus aequi.

AD POMPILIUM AMASAEUM

C\_25 v.1 Ne tu immerentes, ne muliebribus  
2 manes paternos urge ululatibus,  
3 neu tinge dulcem, qua fruuntur,  
4 ambrosiam lacrimis amaris,  
5 amice : vixit non ita Romulus,  
6 ut jure luctus, vel querimonia  
7 post funus illum subsequatur,  
8 dura velut mala contigissent  
9 vita cadenti. Respice, respice,  
10 qua mente virtus sit Patris inclyta  
11 latura natum sic remissum, et  
12 turpiter in lacrimis jacentem.  
13 Idem tribunal nos manet, urnaque  
14 omnes ; beatus quem minimae premunt  
15 culpae ; absolutum et rite Judex  
16 mittit ad Elysiam quietem :  
17 qua dum ille laetus perfruitur, deos  
18 frustra laccessis fractus et impotens ;  
19 et voce compellas acerba  
20 fata tuis inimica votis.  
21 Non Diis amicum est, optime Pompili,  
22 ut quidquid illis est placitum semel  
23 nos improbemus ; non ea nos  
24 lege putres capit ima tellus.  
25 Scelus nefandum caeca Promethei  
26 aggressa mens est, dum nova corpora  
27 effingit ex limo, minaci  
28 Juppiter ore, fremensque dixit :  
29 "At non inultum : dira necessitas  
30 armata vinclis, et jugo aheneo  
31 instabit illis, sive sceptras,  
32 sive graves tulerint ligones :  
33 nec Lethi aduncas effugient manus  
34 collo imminentis, sive perambulent  
35 telluris oras, sive turgens  
36 per mare, navim agitante vento."  
37 Haec ille, jurans per Stygios lacus,  
38 futura dixit : "Frustra igitur fero  
39 quaeris reluctari deorum,  
40 quae melius patiare, jussi."

ELOQUENTIAE LAUDES. AD CORNELIUM MUSSIUM EPISCOPUM BITONTI

C\_26 v.1 Non marmor Parium, non ebur Indicum,  
2 nec quidquid Lybicus conditur horreis,  
3 non auri rutilans lamina, clavibus  
4 asservata tenacibus,  
5 Corneli, Superum nos rapit ad choros,  
6 aut miscet liquidi pocula nectaris,  
7 Idaeus juvenis qualia dat Jovi,  
8 flavescente nitens coma.

9       Fortunae siquidem munera barbarae,  
 10       ut gliscens pelago Carpatio Notus,  
 11       ignavos animos ocius obruunt,  
 12               fortes disjiciunt ita,  
 13       ut numquam a tumidis fluctibus enatent :  
 14       non si Peliacae praesidio ratis  
 15       nitantur, potuit quae Mare turgidum et  
 16               robur vincere Colchicum.  
 17       Sed quae nos beat, est divitis ingeni  
 18       vena, et posse graves pectoris edere  
 19       partus, Mercurio dextro, et in omnium  
 20               mentes, non sine Gratiis,  
 21       furtim mellifluos serpere rivulos.  
 22       His olim rigidos artibus Orpheus  
 23       demulsit lapides, et docuit feras  
 24               junctas ludere quercubus.  
 25       His et Thebaicae conditor arcis est  
 26       dictus, qui ad strepitum ducere tibiae,  
 27       atque Urbis potuit saxa sequentia  
 28               circumponere moenia.  
 29       His heros Pylius corda potentium  
 30       inflammata ducum, fata sub Ilii,  
 31       sedabat quoties dissidio gravi  
 32               inter se, ut maris aequora,  
 33       certabant, Zephyris acta, reflantibus  
 34       Euris. His te, ut olorem prope cernimus,  
 35       linquentem fluvii prata Caystrii,  
 36               verno tempore, lucida  
 37       pennis praepetibus tangere sidera,  
 38       et dulci sonitu magna palatia  
 39       perreptare Deum, sive tu ab arduis  
 40               vibras fulmina pulpitis  
 41       verborum, et stupidis auribus ingeris  
 42       temet, sive agili mente sacros choros  
 43       divorum penetras, sanctaque numina,  
 44               et mysteria non prius  
 45       sic expressa, stylo non homini dato,  
 46       nec quali manus est usa Promethei,  
 47       Ignem quae aetheriis sedibus abstulit,  
 48               hic mortalibus exprimis :  
 49       tanti est vis animi, et spiritus igneus,  
 50       quo nil Di melius, nilque salubrius  
 51       concessere homini ; stet modo, nec nimis  
 52               audax mole ruat sua.

#### AD GALEATIUM FLORIMONTIUM

C\_27   v.1   Ex animo, Galataee, tuis, suavissime, chartis  
           2    gratulor, et longum victuras auguror aevum :  
           3    nam tractant de virtute, et de moribus almis,  
           4    sermone egregio, ampullis nugisque relictis,  
           5    queis aliquis fretus, tumidusque audaxque juvena  
           6    pervolitat titulos veterumque excerpta Sophorum ;

7 cumque haud percipiat quicquam, improbat omnia demens,  
8 et libros facit ipse novos opprobria saeculi.  
9 Tu vero, Galataee alba venerande senecta,  
10 quae tecum ipse diu versasti pectore in imo,  
11 assiduo studio prisca exemplaria volvens,  
12 nunc promissis tandem, atque in librum digeris aureum :  
13 quem docti plausu excipiunt releguntque libenter ;  
14 praecipue magnus Polus, quo doctior alter  
15 non est, aut melior, nec erit (tibi) tempore longo.  
16 Ipse tuo Polus jussu, Galataea, libello  
17 ad mensam recitari, in caelum laudibus effert.  
18 Ergo jure tibi, atque tuis, Pater optime, chartis  
19 gratulor, et longum victuras auguror aevum :  
20 cumque illis nomenque tuum, et tua gloria vivet.

C\_28

v.1 Si quis, Olympicae miratus dona palestrae,  
2 alipedi contendat equo, celerique quadriga  
3 declinet metae compendia doctus habenis ;  
4 vel juvet immani potius decernere caestu ;  
5 vel collimet avi ; rapidis vel cursibus Euros  
6 provocet ; aut volucris spumantia marmora cymba  
7 pervolet ; aut audax fulva luctetur arena :  
8 dulce illi est viridi redimitum tempora oliva  
9 efferris populi tergibus, plenoque theatro  
10 si victor super astra volet rumore secundo.  
11 Si clypeos tractare libet ; si Martis amore  
12 incensus, rapiaris equo per tela, per ignes,  
13 per densas acies, Getulis qualis in arvis  
14 impavidus fremit ore leo, ferrataque vasto  
15 agmina venantum aggreditur, frangitque cruentus,  
16 excutiens cervice comas, hostilia tela :  
17 dulce est post caedes, capitis post mille pericla,  
18 post ferro domitas acies, populosque rebelles,  
19 quadrijugo curru gemmis spectandus et ostro,  
20 per populi plausum roratis undique nimbis  
21 florum, si scandas Tarpeias victor in arces ;  
22 si videas duci, demissa fronte, Tyrannos  
23 ante tuum currum, populoque undante, quadrigae  
24 segnius ire rotas, et equos consistere turba,  
25 armorumque strues, victoque ex hoste tropaea.  
26 Si cui pacato risit Sapiencia vultu,  
27 illius et doctos si non expalluit haustus :  
28 dulce est occultas rerum cognoscere causas ;  
29 qua coeant elementa fide, qua sidera lege  
30 aeternis defixa globis immota pererrent ;  
31 quae vigil aethereos concinnet cura rotatus,  
32 temperet assiduis et decedentia certis  
33 tempora momentis, Solis Lunaetae labores ;  
34 quo latices veniant fonte, et cur flamina volvunt  
35 in mare praecipites undas ; quo carcere clausa  
36 sollicitent pontum ; teretes qua grandinis orbes  
37 parte Poli crescant, rores, gelidaeque pruinae.  
38 Quid referam quantos accendit laudis amores,

39 Palladias rixas ubi miscuit aemulus ardor ?  
40 Si quem blanda juvat docilis facundia linguae,  
41 magna parens Latiaequae togae mitisque Senatus ;  
42 seu libet aetherei laudes extollere civis ;  
43 seu libet audentes lingua terrere minaci,  
44 et rapidas, fonti puroque simillimus amni,  
45 mulcere eloquio commoti pectoris iras :  
46 dulce est suspensas mentes, lacrimisque rigantum  
47 ora videre virum, fixumque in corde dolorem :  
48 aut si Pegaseis liquidas e fontibus undas  
49 hauriat, et plenum Dircaeum flumen oloris  
50 ebibat, aut latices melior qua Mincius errat ...

#### AD APOLLINEM

C\_29 v.1 O Jovis Magni soboles decusque,  
2 crineque intonso et pharetra superbe,  
3 applices aures precibus benignas,  
4 pulcher Apollo.  
5 Arte tu sanas medicus salubri  
6 corporum morbos ; tibi nota quaeque est  
7 herba ; tu sortes regis, ac futura  
8 praecinis augur.  
9 Tuque dum longe jacularis arcu,  
10 territas Divos hominumque caetus,  
11 at tuae Matris tacitam pererrant  
12 gaudia mentem.  
13 Tu novem caeli moderaris orbem,  
14 siderum Princeps, obiensque circum  
15 et mare, et terras, nitidoque Olympum  
16 lumine lustras.  
17 Sic novem praestans cithara Camenis,  
18 dum vagis plaudunt pedibus choreas,  
19 dulcia aeterno modulata plectro  
20 carmina dicis.  
21 Sic refers, nigraque diem relatum  
22 nocte celas, scilicet ut quiescat  
23 fessa mens curis hominum, et diurno  
24 membra labore.  
25 Tum tuis contra radiis refulgens,  
26 candidam lunam mediis tenebris  
27 luce perfundis ; nitet illa gaudens,  
28 splendet et una.  
29 Lenta per te pampineis racemis  
30 uva dependens coquitur, rubetque  
31 purpurae certans ; tibi plurimum ipse  
32 debet Iacchus.  
33 Quaeque mortales miseros aratro  
34 prima defixo docuit movere  
35 arva, et immensi dare spem laboris  
36 semina sulcis.  
37 Concipit per te genitale semen  
38 terra, mox alvum gravidam relaxans



39 parturit fruges, variosque flores  
 40 foeta ministrat.  
 41 Hoc sciens a te gravidas aristas  
 42 expetit multis precibus colonus,  
 43 ut queat natos teneros, senemque  
 44 pascere matrem.  
 45 Supplices audi miseros agrestes,  
 46 ne fame, heu, dira pereant, situque  
 47 horreat campus, penitusque cesset  
 48 fructus aratri.  
 49 Tu quoque in Thracas metuendus arcu  
 50 bella age, et morbos procul hac ab Urbe,  
 51 ut malis rursus redeant fugatis  
 52 tempora in aurum.  
 53 Imminet pestis Latio, et ruina ;  
 54 en ferus Mavors ruit huc cruore  
 55 Italo aspersus, nisi nos ab alto  
 56 aspicias aequus.  
 57 Eripe e tanto Italiam periculo ;  
 58 Julium serva innumeros in annos,  
 59 Cui data est rerum merito sacrarum  
 60 summa potestas.  
 61 Huc ades lauro caput implicatus ;  
 62 nos tibi sacras statuemus aras  
 63 compotes voti, dabimusque sanctos  
 64 thuris honores.  
 65 Taurus et lento redimitus auro,  
 66 cui modo erumpit tibi fronte cornu,  
 67 pastus et campis Latiis nitentes  
 68 imbuet aras.

#### IN COSMUM MEDICEUM

C\_30 v.1 Tyranne saeve, proditor nequissime,  
 2 invise Tuscis, Italis et omnibus,  
 3 quis te furor modo impulit, jacentia  
 4 silente membra dum sopor nocte occupat,  
 5 Senam evocatis aggredi cohortibus ?  
 6 Num posse fraudibus capi hanc putaveras  
 7 pro qua vigil fidusque Gallus excubat  
 8 Massylus ut tuens draco mala aurea ?  
 9 Non te parantem proelia haec deterruit,  
 10 quod maximus suam recepit in fidem  
 11 servatque liberam, fugato Caesare,  
 12 tremendus omnibus potenti dextera  
 13 Henricus ? Ausus tu hunc lacescere insolens  
 14 velut Gigantes, improbum genus, Jovem,  
 15 disjecti ut illius corusco fulmine  
 16 poenas darent immanis olim audaciae ?  
 17 Non te tuorum dira clades admonet ?  
 18 Quos stringis enses et struis dolos, tibi  
 19 maesta esse funera et triumphos hostibus  
 20 exosis fastus impiae tyrannidis

21 non cernis ? Heu, prorsus tibi (auguror sciens)  
 22 mentem eripit Rhamnusia, ut turpissime  
 23 depulsus ex regno tuisque sedibus  
 24 abjectus exules, inopsque limina  
 25 superba lustrans, sicut ille, flagites  
 26 stipem Corinthi, qui auro abundarat prius,  
 27 aut, ne tot aerumnas diu feras graves,  
 28 mortem furens tibi ipse consciscas miser  
 29 placesque eorum umbras tepenti sanguine  
 30 quos nunc premunt per te interemptos Tartara.

#### AD GENIUM CATULLI

C\_31 v.1 Dum Venus et Veneri positis Mars gratior armis  
 2 gramineo fessus dormit uterque solo,  
 3 irrepsit tunicas divae formica labentes,  
 4 et teneras rigido vellicat ore nates.  
 5 Icta Venus clamat, somno Mars excitus arma  
 6 corripit, et nudo nescius ense micat.  
 7 Adspiciens caelo qui conspicit omnia Phoebus  
 8 est ratus in Venerem stringere tela deum.  
 9 Advocat auxilio Superos, descendit Olympo  
 10 Juppiter armatus, Pallas et alma Ceres.  
 11 Territa securo formica reconditur ano,  
 12 atque iterans morsus spernit ab arce Deos.  
 13 Flet Venus, abducit morsu formica cruorem ;  
 14 viscera purpureo sanguine tincta rubent.  
 15 Quid facient Superi ? Sunt ignea tela Tonantis  
 16 irrita, gradivi nil opus ense Dei.  
 17 Ecce Priapus adest, solus tulit ipse salutem,  
 18 apta ministerio mentula tenta fuit,  
 19 quam deus hortorum Veneris confixit in anum,  
 20 et telo haerentem traxit ab arce feram !  
 21 Nigra cruore suum mutat formica colorem.  
 22 Hinc rubet, et generi permanet ille color.  
 23 Candida quae fuerat, Veneris madefacta cruore  
 24 mentula purpuream servat in ore notam.  
 25 Hinc prius ignotam sedem tentasse Priapum  
 26 fertur et aversae grandia foeda Deae.  
 27 Antraque nunc edam tacitas formica latebras  
 28 intrat, et intactas non sinit esse nates.

#### DIALOGUS

IN NUPTIIS OCTAVII FARNESII ET MARGHERITAE AUSTRIACAE

#### MARGHERITA

C\_32 v.1 Quid facis, o conjux ? Num dormis ? Surge, marite,  
 2 surge inquam, siquidem nimia tentugine rumpor.  
 3 Veh mihi non audis ? Sic das medicamina cunno ?  
 4 Vah pereat, conjux, Paulus pereantque parentes,

5 qui me tam parvo puero junxere misellam.  
6 Experiar, potero : moriar nisi adultera fiam ;  
7 flagitium facio, fiat ; violentia cogit  
8 me Veneris ; sed rursus vellam ante ungue puellum.  
OCTAVIUS  
9 Eheu quid patior ? Numquid me vellicat uxor ?  
MARGHERITA  
10 Ne timeas, mi vir, mea lux, mea sola voluptas :  
11 oscula trade mihi, collo tua brachia necte.  
12 Ostendas faciem : non est mihi mentula, culo  
13 ut sit opus : clunes averte, ac tende priapum,  
14 et quamquam est parvus, forsan depellere amoris  
MARGHERITA-OCTAVIUS  
15 Vim poterit. - Maneas : sine me requiescere, somnus  
16 (non parcis misero ?) nostros dum detinet artus ?  
MARGHERITA-OCTAVIUS - MARGHERITA - OCTAVIUS  
17 Nondum surgis, iners ? - Nisi desinis esse molesta  
18 cras referam matri. - Cave. - Non, mihi crede, cavebo,  
OCTAVIUS - MARGHERITA  
19 Ni cesses stimulare. - Precor, miserere, marite,  
20 cum tibi nil noceam : nostras en tange papillas,  
21 tange manu vulvam : paulatim dirige verpam :  
22 incipe amoris opus, Venerisque agnoscere fructus.  
OCTAVIUS  
23 Vicisti tandem : faciam quodcumque jubebis :  
24 volve mihi culum, si vis, vel prona jaceto.  
MARGHERITA - OCTAVIUS  
25 Nolo sic facias. - Sic me docuere parentes.  
MARGHERITA  
26 Absit id. Ecce locus, quem dicunt nomine vulvam,  
27 et quo tu debes optatam ducere verpam.  
OCTAVIUS - MARGHERITA  
28 Ergo velim doceas, quoniam tibi posse placere  
29 exopto. - Me in eas sic ; sed prius arrige membrum.  
OCTAVIUS - MARGHERITA - OCTAVIUS - MARGHERITA  
30 Arrexi. - Intromitte ergo. - Intromissus ad usque  
31 en testes ambos. - Cur nullum sentio vulnus ?  
32 Hanc equidem credo nondum tetigisse priapum.  
33 Sed stringam vulvam. Cepi sentire parumper,  
34 nunc demum, sed tu cave, dum crisso, voluptas  
MARGHERITA - OCTAVIUS - MARGHERITA  
35 nam tua major erit. - Faciam quod jusseris ipsa,  
36 dum valeam. - Mi vir, praebe oscula mutua nobis,  
37 exerce clunes, res est dulcissima rerum !  
38 Si major verpa esset, opus quam dulcius istud !  
OCTAVIUS  
39 Descendam, nam fessa mihi sunt membra labore.  
MARGHERITA  
40 Desine, quaeso, prius dulcem me tangere metam :  
41 jamjam perficiam ; validus labor ultimus esto.  
OCTAVIUS  
42 Heu heu, me miserum : jam nobis ilia rumpis.  
43 Parce viro tenero, strictos jam solve lacertos :  
44 collides miserum totum, nisi brachia tollas.  
MARGHERITA  
45 Ne timeas : opus est quam nunc mihi dulce peractum.